



# The Holy See

---

FRANCISCUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

CONSTITUTIO APOSTOLICA

## **NYIREGYHAZANA PRO CHRISTIFIDELIBUS RITUS BYZANTINI\***

IN HUNGARIA NOVA EPARCHIA NYIREGYHAZANA  
PRO CHRISTIFIDELIBUS BYZANTINI RITUS CONDITUR

Ad aptius consulendum spirituali bono atque regimini Christifidelium Byzantini ritus in Hungaria degentium, opportunum est visum pro iisdem Eparchiam condere. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro S.R.E. Cardinale Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, sequentia decernimus. Ex territorio a iurisdictione Archiepiscopi Haidudoroghensis detracto – id est in regionibus civilibus *Szabolcsis*, *Szatmarsis* et *Beregsis* – suprema Apostolica auctoritate constituimus Eparchiam Nyiregyhazanam cum omnibus iuribus atque obligationibus, quam Metropolitanae Ecclesiae Haidudoroghensi subicimus cuiusque sedem in urbe Nyiregyhazana ponimus, habens Cathedralem ecclesiam in sacra aede Deo dicata in honorem Sancti Nicolai, Episcopi Myrensis. Insuper omnes sacerdotes Archieparchiae Haidudoroghensis in paroeciis praedicti territorii ministerium exercentes suum novae Eparchiae ipso facto incardinabuntur, necnon seminarii alumni ex iisdem paroeciis provenientes ad novam circumscriptionem pertinebunt. Eius autem constitutio et administratio ad normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium fient. Quae vero iussimus ad effectum rite adducantur deque absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis rebus nihil obstantibus.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Martii, in sollemnitate Sancti Joseph, Sponsi Beatae Mariae Virginis et Patroni Universalis Ecclesiae, anno Domini bis millesimo decimo*

quinto, *Pontificatus Nostri tertio.*

*De mandato Summi Pontificis*  
Petrus card. Parolin  
*Secretarius Status*

Franciscus Di Felice, *Proton. Apost.*  
Leonardus Sapienza, *Proton. Apost.*

---

\*AAS, vol. CVII (2015), n. 6, p. 506.

---

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana